nec tam culta, posteaquam cognita est, nec tam multis grata, & probata, pluribus etiam suspecta & invisa; donec tandem Socrates, relictis subtilioribus contemplationibus, de vita moribusque humanis, tam solicitè solerterque philosophari cœpit, ut quæ sunt supra nos, nihil ad nos pertinere asseveraret; &, quæ Ciceronis denuo vox est, philosophiam à rebus occultis & ab ipsa natura involutis ad vitam communem adduceret.

§. V.

De Philosophia Hebræorum.

Sed distinctius hæ, Philosophiæ de Moribus, origines tradi merentur; curabimusque defectui in vulgatibus libellis, quantum licet, mederi. Ac primum quidem omnium ad *Hebræorum* Philosophiam, recurrendum heic est; quippe quæ & antiquissima est, & ab ipso orbis ortu originem trahit: ac perfectissima simul, & ad earum rerum cognitionem nos ducit, quam ab aliarum gentium Philosophis frustra quæsieris. Docet illa, cœlitus inditam concreatamque primo homini Sapientiam Justitiamque, ac illum adeo in ipso Summo hominis Bono, *societate nimirum ac unione cum DEO conditum fuisse.* Atque hæc sapientia licet per lapsum, quoad naturæ quoque sphæram, imminuta labefactataque multum sit: deperdita tamen non penitus est, atque à Setho exculta, (a) ab ejusdemque posteris propagata. Quos inter, ut alios infra laudandos præteream, præcipuus fuit *Moses*, suæ non minus gentis Liberator, quam veræ & divinæ Philosophiæ maximus Restaurator, (b) Idemque Pentateuchi auctor. (c) Ejus Moralis Civilisque Philosophia perfectissima est; certè mali originem frustra alibi, quam in Mose quæsieris. Miseriæ autem fontem intelligere, omnis sapientiæ ac felicitatis initium est. Cuncta etiam in compendio complectitur celebri hoc effato: *Dominum Deum Tuum toto corde, toto animo, tota mente amato: & alterum ut te ipsum.* (d) Vera enim hominis felicitas in amore ordinato, quo Deum

supra